

*alim. & cib. leg. Alex. conf. 110. col. 1. vol. 1. & conf. 178. col. 2. lib. 2. Aym. conf. 188. col. 1. & Rolan. conf. 22. n. 9. lib. 1. & nunc hæredi primogeniti infanti non expediat habitare in dicta civitate Fulginatensi, seorsum à matre, quæ hic in Urbe, in domo Patris sui commoretur, nec ibi domum à prædicta horum alimentorum causa, retinere, & tamen magis expediat Alimenta prædictis præstare in dicta Civitate, ubi fructus percipiuntur, quam hic in urbe. Ideò optima ratione censuerunt DD. ea in dicta Civitate præstari posse, sed non in domo ipsius Primogenituræ in dicta Civitate existente, cum ex deductis hinc inde, in facto, subit sufficiens causa propter quam alimentandi cogi non debeant * in domo propria ipsius hæredis, ibi, vel alibi existente, & recipere, ut in simili fuit resolutum, in *Spoletana Alim. 24. Maii 1593. coram Gipsio.**

Quomodo autem ea alimenta veniant præstanda, DD. dixerunt regulare esse, ea præstari debere, quoad granum, vinum, oleum, ligna, * & similia, in speciebus suis: quo verò ad alia in pecuniæ quantitate; ita Bart. in l. 1. ff. de alim. & cib. leg. Rolan. d. conf. 22. in fin. lib. 1. cum aliis de quibus in d. *Spoletana Alim.* Sed DD. hoc in casu, tum ut rationes Primogeniti à tutoribus possint dilucide reddi, utque de medio tollatur omnis occasio rixæ inter hos parentes, quæ ut plurimum ob interesse ducunt originem, tum denique aliis de causis animum ipsorum moventibus, placuit dicere ea omnia præstari debere in certa quantitate pecuniæ, menstruatim, in principio cujuscumque mensis, persolvenda: de qua tamen quantitate, dixerunt particulariter debere dubitari, ubi amicabiliter partes, quæ circa ea, non conveniant.

Et ita decisum, utraque parte informante.

DECISIO II.

R. P. D. LITTA.

Romana Redditionis Rationis.

Lunæ 12. Maii 1603.

SUMMARIUM.

- 1 Administrator tenetur rationem reddere administrationis. Fructus in utilitatem Minorum convertere tenentur, n. 3.
- 2 Inclusio unius est exclusio alterius.
- 4 Liberatio à redditione rationis intelligitur de scrupulosa.
- 5 Testator, si voluisset, expressisset quemadmodum in alio fecit.
- 6 Observantia declarat, quid partes senserint.
- 7 Gozzadin. conf. 47. & Socin. jun. conf. 1. lib. 4. in quibus terminis procedant.
- 8 Surd. de alim. q. 9. tit. 2. declaratur.
- 9 Commenda loco tituli habetur.
- 10 Fructus rei ad Dominum spectant.

Cum non controvertatur Aloysium administrasse fructus, & redditus bonorum ad Joannem Baptistam spectantium, tam vigore donationis eidem factæ, ex causâ matrimonii, quam vigore testamenti, & codicillorum quondam Joannis Antonii de S. Petro, ideò DD. unanimiter resolverunt ipsum teneri reddere rationem dictæ administrationis per Gloss. in l. creditor, §. duobus, ff. mandati, ubi passim scribentes hoc notant. Socin. sen. conf. 2. n. 5. & conf. 46. nu. 1. lib. 1. Rolan. conf. 48. n. 1. lib. 1. Roman. conf. 414. & fuit sæpè

tentum signanter in *Forolicien. de Torcellis 26. Apr. 1596. coram R. P. D. meo Decano.*

Nec obstat dixerunt DD. quod Testator in codicillis mandaverit, quod Aloysius liberè, & cum ampla auctoritate gubernet, & administret fructus portionis hæreditatis, ipsi Joanni Baptistæ tangenti, & in illis idem Joannes Baptista non possit aliquo modo se ingerere, neque intromittere, nisi post mortem ipsius Aloysii; tum quia respectu fructuum, & redditus bonorum eidem Joanni Baptistæ donatorum ex causa matrimonii, cessat omnis difficultas, cum de illis non loquantur codicilli, sed solum de fructibus portionis hæreditatis ipsum Joannem Baptistam tangenti, & inclusio unius * sit exclusio alterius, *vulgata leg. cum Prætor. ff. de Tud. & exactam*, concludunt Paris. conf. quod non dixit, cap. ad accidentiam de decimis: tum quia per dicta verba codicillorum, non videtur remissa dotalis redditio administrationis, nec data facultas Aloysio de fructibus prædictis ad sui voluntatem disponendi; cum hujusmodi administratores teneantur bona administrare, * & fructus convertere in utilitatem ipsorum minorum, seu aliorum, quibus sunt relicta, ut latè deducit Nat. confilio 641. numero 5, & alii hic allegati per informantes.

Imò, quod etiam si eis fuerit legata liberatio à redditione rationis eorum administrationis, quod nihilominus teneantur eam reddere, licet non ita scrupulosam & exactam, concludunt Paris. conf. 56. num. 2. Covarr. var. resol. lib. 2. cap. 14. nu. 2. quod tanto magis tenendum videtur hoc in casu, quo ex pluribus apparet Testatorem non habuisse animum donandi hujusmodi fructus ab Aloysio administratos, nec legat simpliciter ejus fructus, seu usumfructum portionis hæreditatis tangenti ipsum Joannem Baptistam, sed mandat quod liberè, & cum ampla auctoritate gubernet, & administret; tum etiam quia quando voluit ei legare usumfructum alicujus rei, id expressit prout fecit quoad domum, & vineam. Undè hoc idem observasset * quoad dictos fructus, si voluisset, cap. inter corporalia, §. undè si circa de transl. Episcop. Doctores passim in l. cum acutissimi Cod. de fideicommiss. & in leg. cum Avus, ff. de conditionibus & demonstrationibus.

Quoad etiam observantiam subsecutam, declaravit; nam Aloysius ipse de dictis fructibus in libris productis, computa retinuit, & tandem apud acta se exoneravit, de dicta administratione, quod utique non fecisset, * ubi vitâ suâ durante, ad se spectassent fructus prædicti, *vulg. l. cum in debito, ff. de probat.*

Nec prædictis obstant illa verba: Et in illis quidem Joannes Baptista non possit aliquo modo se ingerere, nec intromittere, nisi post mortem ipsius Aloysii.

Quia nihil aliud præ se ferunt, quam quod Testator voluerit dictos fratres, durante vitâ Aloysii, de cujus administratione & prudentia confidebat, pervenire ad manus Joannis Baptistæ, qui admodum juvenis erat, & qui propterea poterat de facili illos dilapidare, sed conservare per totum tempus; ad utilitatem tamen ejusdem, & verbum illud præterens, gubernet, importare videtur.

Nec faciunt deducta ex dictione illa, liberè, quia secundum subjectam materiam intelligi debet, & sic respectu ipsius administrationis.

Minus obstant deducta ex Gozzad. confilio 47. & Socin. jun. confilio 1. libro 4. & aliis allegatis, quia non procedunt * in simplici administratione, sed

Ad Materiam de Alimentis. Decis. III. & IV.

sed vel in usufructuario, vel in eo, cui est data facultas percipiendi fructus, & de eis liberè disponendi.

Neque etiam applicantur tradita per Surdum de alim. quest. 9. tit. 2. quia loquitur * in uxore relicta domina, & administratrice, cui relictum restringitur ad alimenta.

Deducta autem ex Rectore, & Commendatario perpetuo, qui faciunt fructus suos similiter non applicantur, cum ille habeat titulum, & usufructuario comparetur, ille in vita & in morte, iste verò habeat commendam * quæ in omnibus loci tituli habetur, secundum DD. in cap. nemo de elect. in 6. & per Gomez. in reg. de ----- quest. 5. col. 8. sub lit. C.

Undè cum hoc in casu titulus pro hærede respectu bonorum, de quorum administratione agitur, sit penes ipsum Joan. Baptistam, imò & dominium à die mortis Testatoris citra ad ipsum spectet, meritò ad eundem spectare debent fructus * dictorum bonorum, etiam pro tempore quo duravit dicta administratio ad text. in leg. qua ratione in princip. ff. de acquir. rer. dom. & in §. qua ratione Inst. de rer. divis. & not. per Doctores in leg. Herennius ff. de evict. & per Grat. confilio 18. numero 2. lib. 1. sicque per consequens tenetur de illis omnibus reddere rationem Aloysius, ex supra dictis, & aliis latius deductis per Informantes pro D. Joan. Baptista.

Et ita &c.

DECISIO III.

R. P. D. LITTA.

Romana Redditionis rationis.

Lunæ 5. Julii 1604.

SUMMARIUM.

- 1 Alimenta in domo promissa, in ea præstari debent. Fallit ut n. 2. Ne præstentur in domo, causa Judicis arbitrio remitti, ur, n. 3. Lites inter partes sunt justa causa, ne præstentur in domo, n. 4.

Ubi erat an deberentur alimenta per D. Aloysium D. Joan. Baptistæ uxori, & familiæ, & ad quam summam essent taxanda; & quia dubium poterat intelligi tam pro tempore præterito, quam futuro, DD. in ista propositione firmanunt in futurum deberi alimenta etiam extra domum; ad quam summam autem essent taxanda, & an pro præterito tempore deberentur reservant particulariter videndum, fundamentum verò quoad alimenta in futurum præstanda etiam esse dictum fuit.

Qua licet D. Aloysius in apocha matrimoniali promiserit tenere Joannem Baptistam in domo propria, illumque & familiam honorificè tractare: quæ verba imputant promissionem alimentorum, * & propterea illa præstare in domo teneatur. Bart. in leg. Cajo, §. Imperator. ff. de alim. vel cib. leg. attamen à regula receditur justa * subsistente causâ non habitandi cum eo, qui ad alimenta tenetur. Alex. confilio centesimo, numero secundo, libro 1. & sæpè fuit decisum per Rot. in una *Spoletana alimentorum*, 24 Maii 1593. coram bona mem. Gipsio in *Fulginaten. Primogenituræ* 18 Aprilis 1597. coram me, & novissimè in *Rom. alimentorum de Cenciis* 14 Aprilis 1603. coram D. meo Mellino.

Undè cum ista causa non commorandi, * ut plurimum resideat in arbitrio judicis, ut in *precitata Rom. de Cenciis* fuit dictum. Ideò DD. approbarunt, pro justa causa lites hodie vertentes inter ipsas partes * juxta tradita per Surdum de alimentis tit. 4. quest. 15. nu. 28. & per Molin. de primogen. Hispan. lib. 2. cap. 15. n. 74. qui plures allegat.

Maximè quod videbatur concurrere consensus D. Aloysii, quoad recessum Joannis Baptistæ à domo ejus sub die 10. Aprilis 1600. citatus ad instantiam Joannis Baptistæ coram Vicario ad videndum fieri provisionem super alternativa subjuncta modificationem per hæc verba ultima statim quando adversarius cum filiis & familia migraverit in aliam domum. De quo actu data fuit copia in summ. Joannis Baptistæ nu. 2. ex quo colligitur voluntas, & animus D. Aloysii non retinendi Joannem Baptistam in domo, qui simpliciter instituerat præstari alimenta, nullâ factâ expressione an in domo, vel extra domum.

Et ita decisum, &c.

DECISIO IV.

R. P. D. PAMPHILIO.

Romana Tutelæ.

Veneris 27. Januarii 1612.

SUMMARIUM.

- 1 Liber tutelarum, ex quibus bene tentus dicatur; tutelarum bene tentus pro tutore probat, n. 2. Ex qualitate Tutoris fidem assumit, nu. 6.
- 3 Partes libri, si aliqua justificentur, ceteræ præsumuntur veræ. Libri verisimiles admitti debent, n. 4. Amplia ut n. 5.
- 7 Mariti bona sunt obligata de jure uxori, pro ejus credito. Amplia ut n. 8.
- 9 Periti à partibus electi relationi statunt.
- 10 Creditor habens obligata nomina debitoris sui, potest contra ipsos agere, pro consecutione sui crediti.
- 11 Tutori rescipiuntur expensæ in cultura agrorum erogatæ.

Franciscus Bonettus tutor datus Thomæ, & Antonie de Merlettis, durante tutela, confecit librum tutelarem, in quo descripsit data, & recepta, introitus, & exitus bonorum prædictorum pupillorum, finitæque hujusmodi tutela, contra ipsos egit, coram Urbis Vicario pro recuperatione ejus, quod de suo pro illis expendisse ex dicto libro apparet: cum verò, pendente hujusmodi judicio, Franciscus decessisset, Clarix ejus uxor declarata creditrix hæreditatis sui viri, & obtento mandato pro satisfactione sui crediti contra bona hæreditaria, ipsa quoque egit coram eodem Urbis Vicario contra dictum Thomam, & Antoniam, qui sententiam absolutoriam reportarunt, à qua Clarix appellavit; causaque dictæ appellationis mihi commissa supradicta die dubitavi, an prædicto libro esset adhibenda fides? & DD. adhibendam esse censuerunt; moti ex eo, quia dictus liber ex sui facie apparet bene tentus * continet enim data, & recepta, introitus, & exitus bonorum Pupillorum distinctè, & sigillatim, ac dietim, & cum sua causâ descripta, prout requiritur, ut per Bart. confilio 150. in fin. Angel. confil. 277. numero 3. circa medium cum aliis per Rolan.

consil. 49. nu. 22. libro 1. ex Plot. de in lit. jurand. §. 5. numero 31. Ideo que succedit conclusio quod liber tutelaris * bene tentus probat pro tutore, ut post Bart. & Bald. per eos allegatos, tradit Corn. consilio 81. num. 9. libro 4. maxime concurrentibus adminiculis, Roland. consilio 92. numero sexto, lib. 3. Surd. qui alios citat decis. 199. n. 11.

Adminicula autem plura in presenti casu concurrunt: primo, quod partitæ dicti libri pro majori parte ex publicis instrumentis verificantur, data autem verificatione * aliarum partitarum cæteræ præsumuntur veræ, etiam quod aliunde non justificentur, & quoad illas, statim libro tutelari. Paul. de Castr. consilio 301. aliis 302. num. 4. libro 1. cum aliis per Gabr. de præsumpt. conclusione 5. n. 1. & tenuit Rota in Romana extinctionis census 18. & 20. Maii 1583. coram Cantuccio, relata inter impres. divers. decis. 813. num. 15. & sequentiib. parte 1.

Secundo, quod de causis, ex quibus Pupilli fuerunt constituti debitorum a tutore, constat in genere, nempe fuisse ipsos ab eo alimentatos, & eorum vineas cultas, quo fit ut partitæ dicti libri, * quæ continent expensas propter hujusmodi causas factas, reddantur multum verisimiles ita, ut propterea ei sit fides adhibenda, ut per Corn. consil. 81. n. 9. lib. 4. Quod etiam est regulare in omni libro rationum, * etiam quod expensæ sint magnæ, ut post Bart. & Soccin. ab eo allegat. tradit Aym. de antiq. temp. p. 1. §. 4. limitat. n. 24. & tenuit Rota in una Burgi Sancti Sepulchri 25. Jun. 1610. coram R. P. D. meo Ludoviso.

Tertio pro adminiculo fuit per DD. consideratum, quod iste tutor fuit persona multum legalis, & fide digna, * ut constat ex deductis per informantes pro Clarice, quæ qualitas plurimum coadjuvat fidem libri ab eo scripti Bald. consil. 156. n. 3. circa med. versic. si autem non potest lib. 3. Guid. Pap. q. 441. n. 1. Cappell. Tolos. q. 496. & ibi Aufred. in addit. & fuit dictum in Urbevetana Dotis 7. Junii 1610. coram R. P. D. Ludoviso.

Non obstant ea, quæ deducuntur, de non integra descriptione vini, & alia multa adducta pro parte DD. de Merlettis ad tollendam fidem hujus libri, quia omnia cessant ex facto, & bene diluuntur per informantes pro Clarice cum quibus DD. transferunt.

Eodem. In eadem.

Veneris 11. Maii 1612.

Domini pro infirmatione sententiæ R. P. D. Trivultii, sola Clarice informante, tenuerunt, quia cum ipsa esset creditrix Francisci Bonetti ejus viri in scutis 875. partim pro aconcio, * & partim pro lucro dotali, & pro hujusmodi credito haberet obligata omnia bona illius, tam ex dispositione juris communis juxta text. in l. unica, §. & ut plenius, C. de rei ux. act. cum aliis per Neguf. de pignorib. 4. membr. 2. partis principalis numero 24. cum pluribus seqq. quam propter generalem obligationem, & hypothecam omnium bonorum expressè adjectam in Instrumento sponfalium, * & apocha receptionis aconci, & sic etiam nomina debitorum ipsius l. nomen C. quæ res pign. oblig. poss. l. 3. C. de hered. & act. vend. & utrobique notat. Bart. Bald. & alii. Pinel. in rub. C. de bon. mater. p. 1. n. 8. vers. 4. concl. Negufan. de pign. 2. membr. 2. p. princ. n. 8. potuit agere contra Merlettos pro executione mandati ad ejus favorem à primo Collaterali contra bona, & nomina debitorum sui viri relaxati ex quo sunt illius debitorum, ut constat

ex libro tutelari, cui fidem esse adhibendam jam fuit resolutum, juncta relatione Periti, qui hujusmodi creditum calculavit in scutis 515. cui relationi standum est, * cum fuerit electus de communi partium consensu. Doct. in c. proposuisti & ibi præ aliis Abb. num. 10. & Felin. nu. 5. de probat. Bart. in l. 2. n. 21. C. de resim. vendit. Paris. consil. 96. n. 32. lib. 1. certi enim, & indubitati juris est creditorem habentem nomina sui debitoris * obligata posse agere contra illius debitorum pro consecutione sui crediti dicta l. nomen C. quæ res pign. oblig. poss. & ibi notat per Gloss. & Doct. in l. si conuenerit ff. de pignor. act. Castr. consil. 198. n. 29. & 30. lib. 2. Neguf. de pignor. 3. membr. 2. p. n. 24. & 1. membr. 8. nu. 19. quo fit ut sententia D. Trivultii quatenus Merlettos à petitis per Claricem absolvit, remaneat injusta, & per consequens, tanquam talis veniat revocanda.

Nec subsistit, quod dicebatur de excessivitate expensarum circa culturam, & reparationem vinearum per Tutorem factam; quia ut colligitur ex libro tutelari, computatis arundinibus, & expensis vinearoli, excepto primo anno, quo fuerit facta nullæ expensæ extraordinariæ pro refectione fractarum, cancelli, & similium ordinariæ non excedunt scuta 12. pro qualibet petia; & tamen, ut est notum, & constat ex attestacione plurimorum peritorum extrajudicialiter capta, expensæ Vinearum, * cum arundinibus, & vinearoli communiter potius excedunt dictam summam, undè non possunt dici excessivæ, ad text. in l. precia rerum ff. ad l. Falcid. &c.

Et ita &c.

DECISIO V.

R. P. D. COCCINO.

Urbevetana fideicommissi.

16. Novembris 1618.

SUMMARIUM.

- 1 Bona possessa per descendentes à fideicommittente in loco, ubi ipse possidebat, fideicommissio supposita præsumuntur.
- 2 Judex ad unam tantum probationem se applicat: sed ex diversis præsumptionibus se informat.
- 3 Identitas bonorum, quoad quantitatem, consilio de substantia facilius probatur.

Fuerat resolutum in hac causa, non probari totam tenutam salicis fuisse in bonis Petri Testatoris, sed aliquam partem ex deductis in decisionibus in hac causa factis, & præsertim in decisione 10. Aprilis, superioris anni; nam præter assertionem Testatoris, adfuit litteræ Sixti IV. qui dictam tenutam per obitum Petri Mamphiliæ, quasi ad Cameram devolutam donavit suo nepoti, cum expressione certorum confinium, necnon reintegratio Mamphiliæ in dictis bonis facta per Innocentium VIII. cum expressione, quod eadem bona fuerant possessa per ejus antecessores; & ipsa Mamphilia idem expresserat in commissione per eam porrecta Sixto IV. & alia ponderata in prædicta decisione: Quapropter cum in decisione facta 18. Maii 1616. & 14. Martii hujus anni, fuerit reservata quæ & quanta sit ista pars, si simpliciter attendamus doctrinam, * quam refert Peregr. de fideicom. art. 44. n. 22. & seq. & consil. 48. n. 7. & seq. lib. 1. & consil. 35. n. 12. lib. 3. quæ procedit in minoribus

DECISIO VI.

R. P. D. VEROSPPIO.

Forolivien. Alimentorum.

Mercurii 20. Novembris 1630.

SUMMARIUM.

- 1 Alimenta debentur viduæ intra annum luctus, ab hæredibus viri, & n. 7. & n. 8, & n. 9. Præterita non debentur, n. 2. Fallit ut n. 10. Extra domum non præstantur n. 3. Fallit ut n. 4. & n. 5. & n. 6. Debita à die luctus contestatæ non dicuntur præterita, n. 16.
- 11 Hæredes mariti habent animum ad restituendam dotem consistentem in pecunia.
- 12 Mulier in dubio præter dotem non præsumitur alia bona habere.
- 13 Vidua fructus dotis quando consequi possit, & numero 14. & n. 15.

Ex sententia Rotali fuerant condemnati hæredes Octaviani Acconci ad restitutionem dotis Magdalenæ uxoris ejusdem Octaviani. Cum verò eadem sententia reservatum fuisset videre, An eidem Magdalenæ debita essent alimenta intra annum luctus, & fructus dotis, donec illi non fuit eadem dos restituta. Proposui hodie dubium ad instantiam Francisci Guerrini hæredis Magdalenæ. An hæc alimenta, & fructus deberentur, & ad quam summam æstimandi essent? Et ad favorem ipsius Francisci DD. responderunt, quod tam alimenta, quam dotis fructus eidem Francisco hæredes solvere tenerentur, super quantitate verò eorundem fructuum, & alimentorum arbitrati fuerunt DD. ut illa præstari deberent ad rationem quinque pro centenario singulis annis.

Et quod alimenta debebantur illa intra annum luctus viduæ, * dum intra id tempus defuncti viri hæredes dotem restituere cogi non poterant, gl. in l. unic. §. exactio in verb. restituendis, C. de rei ux. act. Bart. in l. divorzio, & ibi Alberic. n. 6, & 7. ff. sol. matr. Pont. de alim. c. 15. n. 1. Lup. de usur. ad l. curabit, C. de act. empt. §. 4. n. 21. Surd. de alim. tit. 1. q. 44. n. 11. Thef. dec. 43. n. 1. Rota in Muced. dotis 23. Jan. 1621. cor. R. P. D. meo Pirovano. Hoc idem statuebatur ex Statuto Foroliv. & hoc debitum ipsi hæredes viri fuerant etiam agnovisse statim post obitum Octaviani, ut hanc alimentorum præstationem vitarent, obtulerunt se dotem Magdalenæ restitutos, licet nonnisi post litem à se motam, & sententiam per quam ad eam dotem restituendam fuerunt iidem hæredes condemnati, illam Magdalena recuperare potuerit.

Contra tamen hæc alimenta hodie se hæredes opponerant, quod illa obligati non fuerint præstare Magdalenæ, extra domum defuncti & quod peti amplius non possent, postquam fuit eidem dos restituta, cum solum debeantur intra annum luctus, ut idè præterita * peti amplius non possint. Alex. in l. divort. n. 9. Castr. n. 6. Jaf. n. 21. ff. sol. matr. idem Alex. consil. 27. n. 1. vol. 4. Pont. de alim. c. 15. n. 4. Surd. d. q. 44. n. 11. & q. 45. n. 63. & debeantur soli viduæ, quæ in domo viri manserit, & apud hæredes ejusdem viri operata sit. Bart. in l. divort. n. 3. & ibi Alex. n. 29. ff. sol. matr. Meno. de arbit. cas. 168. n. 12. & cas. 170. n. 8. & seq. lib. 2. Surd. de ali. tit. 4. q. 14. n. 13. & q. 29. n. 35. eod. tit.

Verum utraque hæc exceptio non visa fuit DD. obesse, cum hoc hæredum debitum verè cessare non potuerit, siquè quod eadè Magdalena in domo sui viri non fuerit, siquè postquam fuerit de sua dote satisfacta: licet enim eadem alimenta solum in domo viri deberentur, & vidua durante anno luctus, tenetur